

promissa de rigore, et subtilitate juris valeant, et n tantum obligent, ut contra promittentem detur actio: tamen contra eandem actionem promittenti competit exceptio, hincque, non ille in iudicio causam lucratur. § 1. Instit. de Except., ibi: « Si metu coactus, aut dolo inductus, aut errore lapsus stipulanti Titio promisisti, quod non debueras promittere, palam est, jure civili te obligatum esse, et actio, qua intenditur, dare te oportere, efficax est; sed iniquum est, te condemnari. Ideoque datur tibi exceptio, quod metus causa, aut doli mali, aut in factum composita ad impugnandam actionem. » Et l. Si quis cum aliter, 36, ff. de Verb. oblig., ibi: « Si quis cum aliter cum convenisset obligari, aliter per machinationem obligatus est, erit quidem subtilitati juris obstrictus, sed doli exceptione uti potest; quia enim per dolum obligatus est, competit ei exceptio. » Concordat l. Dolo, 5. C. de Instit. stipul. Hinc quia mali promissarii actio in jure nil obtinet, cum per exceptionem elidatur, suadet regula, ne in his promissis fides servetur, sed contra promissarium agentem excipiat; quia « in malis promissis fidem non expedit observari, » per dicta.

8. Nisi juramento fuerint firmata. — Illud tamen notandum, quo si hujusmodi in secundo sensu acceptis malis, vel male promissis, quæ contra bonos mores non sunt, consequenter observari debeat, per dicta ad regulam 58, n. 4 et seqq.

9. Datum meretrici ob concessum usum corporis repeti non potest. — Objicies contra regulam. Quod meretrici promittitur, si præbeat usum corporis, post concessum usum servari debet, l. Idem, 4, § 3, ff. de Condit. ob turpem caus. et l. 2. C. eod. Ergo etiam in malis promissis fides servanda est. Resp. nec præfatas leges, nec aliam dicere, ut, quod meretrici ob corporis usum fuit promissum, servari, et dari debeat; sed si jam datum fuit, repeti non amplius possit: « Quod meretrici datur, repeti non potest, » sunt verba cit. l. Idem, quod pariter dicitur cit. l. 2. C. eod. ubi etiam additur ratio, videlicet; quia in pari causa, et delicto melior est conditio possidentis, prout magis dictum fuit ad reg. 65. Nullibi autem habetur, ut, si res promissa data non est, dari debeat: immo contrarium statui videtur in jure, eo quod lex meretrici denegat actionem ad obtinendum id, quod ob illicitum usum corporis ei fuit promissum, l. Mercalem, 5,

C. eod. ubi absolute statuitur, « Mercalem ob turpem causam exactioni locum non esse. Quamvis enim, pergit ibidem textus, utriusque turpitudine versetur, ac solutæ quantitatis cesset repetitio, tamen ex ejusmodi stipulatione contra bonos mores interposita (erat ea Lenonis cum adultero de danda mercede pro concessa uxore ad usum illicitum) denegandas esse actiones, juris auctoritate demonstratur. »

10. Num autem propterea promissum servari debeat, in foro conscientie, controversia est inter doctores, aliis affirmantibus, aliis negantibus. Ponuntur fundamenta negantium. — Quid autem de jure naturali, et in foro conscientie, post conditionem turpem jam impletam, puta, post corporis usum actu jam concessum, sentiendum, non conveniunt Doctores; aliqui, quos et nos secuti sumus lib. IV, tit. IV, a n. 58, volunt, post actu jam concessum illicitum usum corporis teneri promittentem dare, quod promisit: alii vero, iique non pauci contrarium docent cum Sanchez, de Matrim., lib. 5, disp. 17, idque varie probare conantur tam ex jure, quam ratione: ex jure quidem; Nam l. Generaliter, 26, ff. de Verb. oblig., habetur: « Generaliter novimus, turpes stipulationes, nullius esse momenti. » Idem habetur l. Pacta, 6, C. de Pactis, ibi: « Pacta, quæ contra bonos mores fiunt, nullam vim habere, indubitati juris est. » Ergo, inferunt, si nullius momenti, nullius valoris sunt, nullamque vim habent, etiam in conscientia non obligant, præsertim cum hujusmodi pacta turpia, et contra bonos mores esse, nemo neget, prout etiam ut talia in jure expresse nominantur cit. l. Mercalem. Ex ratione autem: tacendo enim alias, dicunt, ex doctrina contraria plurima sequi peccata, eamque esse scandalosam, et ad peccata inducentem; si enim meretrices sciunt eum, qui ob usum corporis aliquid promittit, teneri post concessionem ejusdem in conscientia, ut id præstet, alliciuntur, et inducuntur ad peccatum, quod tam facile non committerent, si scirent promittentem non teneri stare promisso; idem dicendum si quis alicui promittit, ut innocentem injuste occidat.

11. Solvuntur fundamenta affirmantium. — Solvunt etiam fundamenta adversariorum: et quidem illud, quo dicitur, promissum meretrici factum post usum corporis obligare ex jure naturali, præsertim cum absque dantis et recipientis peccato servari possit;

negant enim absolute, ex promisso, quoad utramque partem turpi et peccaminoso, oriri obligationem ex jure naturali. Nec refert, si dicatur, quod dare non sit peccatum. Nam admissio etiam, quod non foret peccatum, dare, tamen neque foret obligatorium; cum hujusmodi promissum dandi, ex quo obligatio oriri deberet, a jure absolute annullatur, sicque obligare non possit. Dein etiam negant suppositum, volentes, promissum meretrici factum non tantum non esse obligatorium, sed etiam illicitum esse, illud servare, juxta regulam nostram: « In malis promissis fidem non expedit, id est, non licet servare, » quia sunt scandalosa, et inductiva ad peccatum. Ex quibus, et aliis rationibus merito arbitramur, hanc doctorum sententiam omnino etiam probabilem, et in foro conscientie tutam esse. Profecto consuetudo, quæ alias maximam, et quidem etiam legis vim habet, si est nutritiva peccati, vel reipublicæ præjudiciosa, tanquam irrationabilis a jure rejicitur, invalidaque, et illicita declaratur, prout dictum et probatum habetur lib. I, tit. IV, § 2. Ergo multo magis nudum promissum ad peccata efficaciter inducens, et reipublicæ præjudiciosum existens.

REGULA LXX.

IN ALTERNATIVIS DEBITORIS EST ELECTIO, ET SUFFICIT ALTERUM ADIMPLERI.

1. Regula, quæ duas habet partes, unde? In alternativis sufficit unum: in copulativis necesse est utrumque verificari. — Prænotandum cum Dyno, et aliis post ipsum, hanc regulam duas habere partes. Prima est, quod in alternativis sit debitoris electio; secunda, quod in alternativis sufficiat unum impleri. Prima pars desumitur ex l. Plerumque, 10, in fine, ff. de Jure dotis, ibi: « Nam et cum illa, aut illa res promittitur, rei electio est, utram præstet. » Et l. Si ita 25, ff. de Contrah. empt., ibi: « Si ita distrahatur, illa aut, illa res, utram eliget venditor, hæc erit empti, » ac l. Si in emptione, 34, § 6, ff. eod. ibi: « Si emptio ita perfecta fuerit; est mihi emptus Stychus, vel Pamphylus, in potestate et venditoris, quem velit dare, sicut in stipulationibus. » Altera pars desumitur ex l. In eo, 110, § 3, ff. de Reg. jur., ibi: « Ubi verba conjuncta non sunt, sufficit, alterutrum esse factum, » et l. Si hæredi, 5, ff. de Condit. instit., ibi: « Si hæredi plures condi-

tiones conjunctim datæ sint, omnibus parendum est, quia unius loco habentur: si disjunctim, cuilibet, » et l. Si quis ita, 129, ff. de Verb. oblig., ubi summarium sic habet: « Ad veritatem copulativæ requiritur, utrumque esse factum: ad veritatem disjunctivæ sufficit alterutrum tantum. »

2. Alternativa, et disjunctiva, idem sunt. — Quæritur I. Quomodo hæc regula (quæ summe practica est) sit intelligenda et quis verus illius sensus? Ante responsum notandum primo, cum doctoribus verbum Alternativa, idem esse, et significare, ac disjunctiva: suntque illa, quæ cum disjunctione, interposita dictione, vel, aut, aliave hujusmodi significationem innuente proferuntur. Alternativa, seu disjunctiva opponuntur copulativis, quæ interposita dictione et, ac, atque aut simili idem significante exprimuntur.

3. Suntque varia: Alia personarum. — Notandum secundo cum Barbosa hic (qui hanc regulam fuse, et exacte pertractat) Strein, et aliis, alternativorum, seu disjunctivorum varia, potissimum vero quatuor esse genera, vel species, ad quas referuntur reliquæ. Prima species est personarum; dum nempe plures personæ disjunctive proponuntur, uti fit cit. l. Si in emptione, ibi: « Est mihi emptus Stychus, vel Pamphylus, » et l. Cum quidam, 4, C. de Verb. et rer. signif.

4. Alia rerum: alia locorum. — Secunda species, seu genus est rerum, quando nempe in contractu, ultima, vel alia dispositione plures res sub disjunctiva dictione vel, aut, adducuntur, uti apparet ex cit. l. Plerumque, ibi: « Nam et cum illa, vel illa res promittitur. » Tertia species est locorum, dum videlicet diversa loca disjunctive proponuntur, v. g. Romæ, vel Viennæ, prout fit l. 2, ff. de Eo, quod certo loco.

5. Alia temporum. — Quarta species est temporum, dum scilicet diversa tempora sub disjunctione exprimuntur, uti reperire est l. Si ita stipulatus, 109, ff. de Verb. oblig., ibi: « Post annum aut biennium dabis. »

6. Alia remedium, et alia penarum. — Præfatis principalibus speciebus annumerantur adhuc aliæ, veluti alternativa, seu disjunctiva remedium, quæ alicui nomine ejusdem rei in iudicio competunt, uti videre est l. Rescriptum, 10, § 1, ff. de Pactis. Item alternativa summarium, seu quantitatum; de quibus exemplum habetur l. Si ita relictum, 43, § fin. ff. de Legat. II, et alternativa penarum, quando plures pænæ eadem delicto

disjunctive imponuntur a jure, uti de servis fugitivis legendum l. *Si fugitivi*. 3, c. *de Servis fugit.* ibi: « Si fugitivi servi deprehendantur ad barbaros transeuntes, aut pede amputato debilitentur, aut metallo dentur, aut qualibet alia pœna afficiantur. » His notatis

7. *Ponitur verus sensus regulæ. Probatur quoad primam partem.* — Resp. ad quæstionem n. 2, positam: regula intelligenda est juxta sequentem sensum, qui proprius illius est: « Quando in contractibus, ultimis voluntatibus, vel aliis dispositionibus plura alternative, seu disjunctive adimplenda, aut præstanda continentur, regulariter in libero arbitrio debitoris, seu illius est, qui adimplere, et præstare debet, quid ex illis præstare velit: Et sufficit, si unum ex illis faciat, aut præstet. » Prima pars patet ex cit. l. *Plerumque*. l. *Si ita*. 25, et l. *In emptione*. quarum textus adduximus n. 4. Ratio regulæ est, quia alternativa dispositio ex mente disponentis in favorem debitoris est, ut, qui in uno, in eo videlicet, quod solvere, facere, adimplere, aut præstare debet, gravatur, in alio sublevetur, in eo nempe, quod saltem ex alternative præstandis, minus gravans, si velit, aut quod lubet, eligere valeat, juxta reg. *Semper*. 9, ff. *de Reg. jur.* « Semper in obscuris, quod minimum est, (seu quod minus gravat) sequimur. » Vivianus hic.

8. *Probatur quoad secundam partem.* — Altera pars probatur ex textibus juris pro eadem n. 1, allegatis, juncta l. *Si quis ita*. 129, §. *At si sic*. ff. *de Verb. oblig.* cum concord. Et ratio est, quia, si ex alternativis unum præstatur, sufficienter verificatur propositio, et satisfit disponenti arg. cit. l. *Si quis ita*. juncta l. *Cum pupillus*. 78, § 1, ff. *de Condit. et demonstrat.* cum concord. differtque in hoc disjunctiva a copulativa propositione, eo quod hæc ad sui verificationem requirat præstationem utriusque, vel plurimum copulative contentorum § *Si plures*. 41, instit. *de Hæred. instit.* ibi: « Si plures conditiones institutionibus adscriptæ sunt: si quidem conjunctim, ut puta si illud et illud factum fuerit, omnibus parendum est: si separatim, veluti, si illud, aut illud factum erit, cuilibet conditioni obtemperare satis est. »

9. *Declaratur exemplis.* — Exempla plurima et obvia ad hominem sunt, quorum aliqua affert Strein. hic n. 4. Sic enim primo. Si quis promittit alicui dare pecuniam, vel

frumentum in promittentis, tanquam debitoris arbitrio est, utrum pecuniam vel frumentum dare velit, et satisfacit dando unum ex his pro libitu. *Secundo*. Si quis promittit alteri unam ex tribus filiabus in matrimonium dare, hic contentus esse debet, quamcunque dein promittens dederit. *Tertio*. Si permuto tecum pro tua domo duos ex meis agris, penes me erit, quos agros tibi dare velim. *Quarto*. Si testator pecuniam, vel prædium alicui leget, liberum erit eidem tanquam debitori, utrum ex his dare velit. *Quinto*. Si pro centum florenis unum ex equis meis promitto, penes me erit, quem dare velim, et satisfacio unum dando pro meo libitu. Et sic de aliis per jura et rationes.

10. *Potestas, seu libertas eligendi transit etiam ad hæredes.* — Porro libertas dandi, solvendi, vel præstandi inter alternative, seu disjunctive debita in debitore se eo usque extendit, ut, si ante mortem, quid præstaret, necdum elegerit, libertas et electio transeat etiam ad hæredem, hujusque in arbitrio sit, quid ex disjunctive debitis a defuncto relictis dare vel præstare velit. l. *Si stipulatus fuerim*. 76, ff. *de Verb. oblig.* Ratio est, quia hujusmodi electio est accessoria ad obligationem dandi, aut præstandi: consequenter, cum ipsa obligatio ad hæredem transeat, etiam accessoria eligendi libertas, indeque proveniens præstandi commoditas ad eundem transire debet. Barbos., hic n. 5; Strein. hic. n. 2.

11. *Nec cessat, etsi unum ex alternativis pereat.* — Nec cessat hæc eligendi facultas, si unum ex alternative debitis periit, vel destructum fuit; quia nihilominus in potestate debitoris est, vel id præstare, quod adhuc extat, vel æstimationem illius, quod interea periit. l. *Cum res*. 47, § 3, ff. *de Legat. I.*

12. *Si debitor ex errore utrumque solvit, repetere potest, quod lubet.* — Libera hæc optio et electio dandi, vel præstandi unum ex disjunctive debitis ulterius se extendit, quod, si debitor, vel hæres illius ex alternative debitis per errorem præstitit utrumque, in arbitrio ejus maneat, quid ex utroque velit repetere, sicut prius erat in optione ipsius, quid vellet præstare: textu, et casu expresso l. penult. c. *de Condit. indeb.*

13. *Fallit regula quoad primam partem primo in alternativis remediorum.* — Quæritur II. An et quas fallentias habeat regula 70? Resp. eam fallere in pluribus, ita ut

propterea dictam sit in sensu regulæ n. 6, posito: « regulariter loquendo: » et quidem quoad primam partem, quod in disjunctivis debitoris sit electio fallit primo in alternativis seu disjunctivis remediorum sive actionum judicialium; nam in his electio actori, et convenire debitorem velit. Barbos. hic, n. 48; Strein. hic. n. 4, arg. l. *Rescriptum*. 10, § 1, ff. *de Pactis*. et l. *Cum filius*. 76, § 8, ff. *de Legat. II.* cum concord. Ratio assignatur in l. 2, § 3, ff. *De eo, quod certo loco*, quia videlicet, si penes debitorem esset electio actionis, in manu ipsius foret pro libitu, et continuo eludere intentionem actoris. Accedit, quod alternativa remediorum introducta sint pro favore actorum, consequenter eisdem competere debeat electio.

14. *Fallit secundo in alternativis pœnarum.* — Fallit secundo in alternativis pœnarum a jure pro delictis impositarum; quia circa has electio non ad delinquentem, tanquam debitorem, sed ad judicem spectat: hujus enim tanquam ministri legis et justitiæ est pro qualitate personæ et delicti pœnam eligere, et imponere. c. et § fin. *Ut lite non contestata*. Et l. 1, c. *De his, qui latrones*. ibi: « Supplicio corporali, aut dispendio facultatum, pro qualitate personæ, et judicis destinatione, plectetur. »

15. *Fallit tertio in gratiis et beneficiis a principe concessis.* — Fallit tertio in gratiis, beneficiis, et favoribus a principe alternative, seu disjunctive concessis, vel promissis; in his siquidem non principis, tanquam debitoris, sed recipientis, seu promissarii seu creditoris est electio, juxta communem doctorum apud Barbos. hic. n. 6, arg. l. 2, c. *de Castrensib. et ministr.* Ratio est, quia in beneficiis principum plenissima in favorem recipientis facienda est interpretatio. c. *Cum dilecti*. 6, in fine, *de Donat.* et l. *Beneficium*. 3, ff. *de Constit. princip.* ibi: « Beneficium imperatoris, quod a divina scilicet ejus indulgentia proficiscitur, quam plenissime interpretari debemus. » Nec refert, utrum beneficium motu proprio, an ad instantiam sit concessum; quia jura non distinguunt, nisi quoad sola beneficia ecclesiastica ad instantiam obtenta, etpote ambitionem sapientia, a lata interpretatione excludant. c. *Quamvis*. 4, pr. et c. *Si a pluribus*. 24, *de Præb.* in 6.

16. *Fallit quarto in alternativis locorum.* — Fallit quarto in alternativis locorum: ut si quis promittit se Romæ, vel Viennæ soluturum, non penes debitorem, sed penes credi-

tozem eligere est locum, in quo solvatur, tum quia interest creditoris, ut in loco sibi commodo, et absque sui damno ei solvatur debitum; tum quia alias, si penes debitorem esset electio, posset hic semper alium, atque alium locum eligere, sicque eludere creditorem, l. 2, § 3, ff. *De eo, quod certo loco*. Hanc tamen fallentiam intellige, nisi debitor solvendo præveniat antequam creditor eligat, et in quo loco solutionem sibi fieri petat; tunc enim utique in electione debitoris est, ubi solvat. arg. cit. l. 2, ff. *De eo, quod certo loco*. Barb., hic. n. 23; Strein. hic; Canis. hic.

17. *Fallit quinto in legatis, quando testator ad legatarium verba dirigit. Ordinarie penes hæredem est, quid ex alternative legatis præstare velit.* — Fallit quinto in legatis, quando testator verba ad ipsum legatarium, et non ad hæredem dirigit; quamvis enim alias, et plerumque ad hæredem tanquam debitorem legati electio spectet, præsertim si testator ad hæredem verba dirigit, l. *Si ita relictum*. 43, in fine. ff. *de Legat. II.* ibi: « Si ita scriptum sit, decem aut quindecim hæres dato: pro eo est, ac si decem sola legata sint, aut si ita sit: post annum, aut biennium, quam ego decessero, hæres dato: post biennium videtur legatum; quia hæredis esset potestas in eligendo, » juncta l. *Si quando*. 109, ff. *de Legat. I.* et l. *Titio*. 21, ff. *de Usu, et usufruct. legat.* cum concord. Tamen, quando testator ad ipsum legatarium verba dirigit, v. g. Titius pro suo legato accipiat, vel habeat domum, aut mille florenos: vel sic: Titio lego prædium, vel domum: legatarii, tanquam creditoris est ex alternative legatis eligere, quod libuerit. l. *Plane*. 34, § 14, ff. *de Legat. I.* ibi: « Si ita Titio legetur: fundum Seianum, aut usumfructum sibi habeto, duo esse legata, et arbitrio ejus esse, an velit usumfructum vindicare. » Item, et adhuc clarius habetur l. *Lucio Titio*. 23, ff. *de Legat. II.* « Lucio Titio fundum Seianum, vel usumfructum fundi Seiani lego, potest legatarius vel fundum vindicare, vel fructum, » cum concord. Ratio utriusque est, quia testator illum, ad quem verba dirigit, magis respicere videtur, indeque velle, ut ei electio competat. Et ita distinguendo inter legata conciliantur doctores, qui ob diversitatem textuum in diversas opiniones abeunt, uti post Dylum hic plures bene advertunt.

18. *In dubio, ad quam verba sint directa*

electio legatarū est. — Quod si testator verba simpliciter proferat, ita, ut non appareat, ad quem verba direxerit, et exinde dubium maneat: electio legatario tanquam debitori competit. Dynus, *hic*, n. 4; Barb. *hic*, n. 15, cum communi aliorum. arg. cit. l. *Lucio Titio*, ubi summarium sic habet: « In alternativis in dubio electio est legatarii, » juncto § 22, instit. *de Legat.* ibi: « Si generaliter servus, vel alia res legetur, electio legatarii est: nisi aliud testator dixerit. » Et ratio est, quia « in testamentis plenius voluntates testantium interpretantur, » sunt verba l. 12, ff. *de Reg. jur.*; Barbos. et Dyn., loc. cit.

19. *Quoad alteram partem, quod sufficiat unum præstare, fallit regula primo in alternativis certarum personarum: et quarum?* — Quoad alteram partem regulæ, quod sufficiat unum ex alternativis implere, » fallit regula primo, in alternativis personarum, quæ testamentis, legatis, libertatibus, et tutorum assignationibus inferuntur, ut « cum quidam sic, vel institutionem, vel legatum, vel fideicommissum, vel libertatem, vel tutelam scripisset: ille, aut ille mihi hæres esto: aut illi vel illi lego, do, vel dari volo: vel illum, vel illum liberum, aut tutorem esse volo, vel jubeo: » uti exemplificat ipsa l. *Cum quidam*, 4, c. *de Verb. signif.* quia in his disjunctiva dictio, *vel, aut*, in copulativam *et, ac*, resolvitur, indeque non sufficit unum, sed requiritur utrumque impleri cit. l. *Cum quidam*, §. *Melius*, ubi universaliter disponitur, quod in hujusmodi dispositionibus plures disjunctive nominati, non disjunctive, sed copulative accipiendi sint, ne aliquis eorum commodo testatoris privetur; ibi: « Melius itaque nobis visum est, omni hujusmodi verbositate explosa, conjunctionem *aut*, pro *et* accipi, ut videatur copulativo modo esse prolata ut et primam personam inducat, et secundum non repellat. » Barbos., *hic*, n. 30; Strein. *hic* et alii.

20. *Fallit secundo, quando adhibetur particula seu; hæc plerumque pro conjunctiva sumitur.* — Fallit secundo, quando alternativa concipiuntur per dictionem *seu*; quia hæc dictio plerumque plus copulandi, quam disjungendi vim habet l. *Si quis ita*, 30, ff. *de Auro et argent. legat.* ibi: « Si quis ita legaverit: uxori meæ mundum, ornamenta, seu, quæ ejus causa paravi, do, lego: placet omnia deberi, sicut cum ita legatur: Titio vina, quæ in urbe habeo, seu in portu, do, lego, omnia deberi. Hoc enim verbum seu

ampliandi legati gratia positum est. » Quæ fallentia in favorabilibus, uti testamentis, legatis, et aliis quæ amplam interpretationem recipiunt, potissimum procedit juxta Abbatem; cum vero universaliter non currat, in reliquis ex subjecta materia, et aliis circumstantiis num dictio seu copulative, vel disjunctive accipienda sit, judicium formandum erit. Strein. *hic*.

21. *Fallit tertio in alternativis inter genus et speciem.* — Fallit tertio in alternativis inter genus et speciem; quia in his propositio disjunctiva pro copulativa sumitur. Strein. *hic*, n. 32, cum communi aliorum. l. *Sæpe ita*, 53, §. *Et cum dicimus*, ff. *de Verb. signif.* cum concord.

22. *Et quarto fallit quoad utramque partem, quando aliunde de mente disponentis aliter constat.* — Fallit quarto regula quoad utramque partem, quando mens disponentis ex subjecta materia, scopo, vel fine dispositionis alia esse apparet: vel alias iniquitas, aut absurdum sequeretur. Barbos. *hic*, n. 34, arg. l. *Generaliter*, 6, c. *de Instit.* et *substit.* et l. *Lucius*, 2, ff. *de Hæred. instit.* cum concord.

REGULA LXXI.

QUI AD AGENDUM ADMITTITUR, EST AD EXCIPIENDUM MULTO MAGIS ADMITTENDUS.

1. *Regula unde?* — Desumpta habetur hæc regula ex l. 1, § 4, ff. *de Superficiebus*, ibi: « Cui damus actionem, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit, » quod idem dicitur l. *Invitus*, 156, § 1, ff. *de Reg. jur.* « Cui damus actiones, eidem et exceptionem competere multo magis quis dixerit. »

2. *Quomodo intelligenda?* — Quæritur I. Quomodo hæc regula intelligenda, et quis verus illius sensus sit? Resp. I. regulam intelligendam esse, et procedere tunc solummodo, quando de eodem, et ad idem agitur, ac excipitur, ut bene advertit Glossa marginalis *hic*, communiter recepta. Item quando non adest ratio specialis exceptionem magis, quam actionem repellens, prout patebit ex fallentiis infra a n. 5 adducendis. Hinc

3. *Ponitur verus sensus illius.* — Resp. II. Verus regulæ sensus hic est: Quando alicui de jure competit actio pro re aliqua acquirenda, eidem etiam, et multo magis compe-

tit exceptio pro eadem, si habet retinenda ad excludendam actionem, quam alius pro eadem re instituit. » Ratio est, tum quia « cui licet quod est plus, licet utique, quod est minus, » juxta reg. 53, *de Reg. jur.* in 6. Plus autem est agere, quam excipere; cum non raro, cui denegatur actio, concedatur exceptio arg. c. *Cum inter*, 5, *de Except.* utpote quæ tanquam sui defensio in majore æquitate fundatur l. *Qui æquitate*, 12, ff. *de Doli mali except.*, tum quia exceptio tendit ad rei retentionem, quæ facilius conceditur quam acquisitio illius, qualem intendit actio l. *Per retentionem*, 4, c. *de Usur.*; tum quia exceptione utens repræsentat personam rei actionem vero instituens personam Actoris sed « favorabiliores rei potius, quam actores habentur. » l. 125, ff. *de Reg. jur.* quibus accedit jura promptiora esse ad absolvendum, et liberandum, quod quærit excipiens, quam condemnandum, et obligandum, quod intendit actionem instituens. l. *Arianus*, 47, ff. *de Obligat. et action.*, consequenter, cui de jure competit actio pro aliqua re acquirenda, multo magis ei competit exceptio pro illa retinenda.

4. *Declaratur exemplis juris.* — Declaratur et firmatur regula, ejusque sensus exemplis juris. Sic enim, uti exemplificat Glossa *hic*, quia ei, qui post legitimam rei præscriptionem dejicitur a possessione, competit actio, multo magis ei competit exceptio pro eadem re retinenda, dum eam possidet, arg. can. *Placuit*, 15, cau. 16. q. 3, juncta l. *Si quis*, 8, c. *de Præscript. trigint. vel quadrag. annor.* Sic pariter, si alicui competit actio, et vindicatio contra possessorem, multo magis competit exceptio, si rem possidet, contra alium actorem, eandem rem vindicare volentem. l. 1, § 4, ff. *de Superficiebus*. Sic rursus, quia conductori rei alienæ ad longum tempus competit actio, et vindicatio utilis in rem contra possessorem etiam dominum: sic eidem quoque competit exceptio contra eundem dominum. arg. cit. l. 1, § 3, ff. *eod.* Sic ulterius, quia viro contra uxorem adulteram competit actio ad divortium c. *Ex litteris*, 5, *de Divortiis*, sic contra eandem ei competit exceptio pro reditu ad virum actionem instituentem. c. 4, *eod.*

5. *Fallit primo in spolio.* — Quæritur II. An et quas fallentias habeat regula 71? Resp. eam fallere in pluribus, veluti primo, si quis vi spoliatur possessione, et agendo restitutionem petit, non competit spoliatori excep-

tio dominii, dicendo, se esse rei dominum, et alterum injustum possessorem, licet facta restitutione possit contra spoliatum agere c. 1, et c. *In litteris*, 5, *de restit. spoliat.* prout amplius diximus lib. II, tit. XIII, *de Restit. spoliat.*

6. *Fallit secundo, in casu electionis jam confirmatæ.* — Fallit secundo, in casu electionis jam confirmatæ, in quo non datur exceptio contra missionem prælati in possessionem, etsi contra eandem in possessionem jam missi detur actio, *Constitutis*, 46, *de Appellat.*, et c. *Indemnitatibus*, 43, § *Cæterum, de Elect.*, in 6. Idque speciali ratione ob favorem Ecclesiæ, vel monasterii, utpote quibus diuturna prælati carentia, quam exceptio admissa causaret, et præjudiciosa Ecclesiæ, et animabus periculosa.

7. *Fallit tertio, in casu solutionis usurarum juramento firmatarum.* — Fallit tertio, in casu solutionis usurarum, quas solvere debitor jurejurando promisit; in tali enim casu licet post solutionem jam factam competat actio ad obtinendam restitutionem usurarum jam solutarum, tamen eidem non competit exceptio, contra solutionem præstandam, textu claro, c. *Debitores*, 5, *de Jurejurando*. Ratio specialis est, quia ob virtutem religionis juramentum, quod sine dispendio salutis animæ, et præjudicio tertii servari potest, semper servari debet, c. *Cum contingat*, 28, *de Jurejur.* et c. *Quamvis*, 2, *de Pactis*, in 6, ubi pactum, etiam a jure civili reprobatum observari jubetur, si juramento fuit firmatum; « cum non vergat in æternæ salutis dispendium, nec in alterius detrimentum, » uti dicitur ibidem.

8. *Fallit quarto, in casu depositi: et quomodo?* — Fallit quarto in casu depositi, licet enim depositarius habeat actionem contra deponentem, si ei debeat; exceptione tamen uti non potest titulo compensationis, si deponens repetat depositum, c. *fin. v. Sane. de Deposito*, et l. *Si quis*, 11, c. *Depositum*, ibi: « Si quis vel pecunias, vel res quasdam per depositionis acceperit titulum, eas volenti ei, qui deposuit, reddere illico modis omnibus compellatur nullamque compensationem, vel deductionem, vel doli exceptionem opponat, quasi et ipse contra eum, qui deposuit, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens. » Ratio in utroque jure specialis allegatur illa, ne contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur.